

D. Recensuistine omnes Hæreses, quæ exortæ sunt in secundo Ecclesiæ sæculo?

M. Superfuit adhuc Hæreses *Theodoti Coriarii*, *Artemonis*, & *Hermogenis*, a quibus breviter me expediam, ne tibi fastidium ingeram. *Theodotus* Bizantinus, arte Coriarius, Christum esse merum, ac purum hominem impie assererat. Discipulos habuit *Asclèpiadem*, *Hermopylum*, *Apollonium*, & *Theodotum Trapezitam*, qui ultimus Pseudo-Magistri sui errori addidit, *Melchisedechum* esse virtutem caelestem meliorem Christo. Hinc prodierunt *Melchisedechiani* Hæretici. Discipuli *Theodoti Coriarii* appellabantur *Theodoriani*, quibus solemne erat Canonem Scripturarum mutilare, ubi Jesu Christi Deitas enunciabatur. S. Epiphanius eos etiam nominat *Alogos*, idest, sine verbo, quia Evangelium S. Joannis, in quo describitur æterna Verbi Divini generatio, & Apocalypsim, seu scripta essent ab Hæresiarcha Cerintho repudiarent. In hoc *Theodoti Coriarii* erroris luto hæsit quoque *Artemon*, Christo divinitatem perinde abjudicans. Postremo, *Hermogenes* eo desipuit, ut diceret materiam esse ingentem, & Deo coæternam, sicut videre est apud Tertullianum in libro, quem contra hunc Hæreticum concinnavit. Habes nunc compendiosè descriptas omnes Hæreses, quæ secundo nominis Christiani sæculo, bellum Ecclesiæ indixerunt.

D. Profecto jam intelligo, Ecclesiam Christi ab omnibus portarum inferi concussionibus esse securam; quippe quæ tot inter Hæreses, & domesticorum scissuras non succubuit, sed potius Dei virtute freta, & continuo Dei protegentis auxilio munita, victrix semper extitit, semper triumphans, tot ornata palmis, quot Hæreticorum armis fuit læcessita.

M. Alios, quos de Hæreticis Ecclesia retulit, triumphos enarrare pergam, si te audire non tædeat Historiam Hæresum, quæ in tertio sæculo in ruinam, atque exterminium Ecclesiæ conspirarunt.

D. Eo libentius audiam, quod isti Hæreticorum conficius in decus immortalis Ecclesiæ cedant, indeque fidei meæ firmiter credibilitas, & meus erga Matrem Ecclesiam filialis amor magis, ac magis inardescat.

M. Ut rem totam paucis conficiam, exordium duco ab illo Schismate, quod in tertio Ecclesiæ sæculo ortum est in Africa, quodque progressu temporis in apertam degeneravit Hæresim. Illius Schismatis Auctor *Felicissimus* fuit, in causa lapsorum, quos citra præmissam satisfactionem mox recipi, & contra antiquam, & receptam Ecclesiæ disciplinam præpropere venia donari debere pertendebat. Erant porro duæ lapsorum classes. Prima erat illorum, qui, sæviente Imperatoris Decii persecutione, idolis cultum per sese exhibuerant. Altera classis erat eorum, qui *Libellatici* dicebantur, quique per se, vel per amicos fidem negaverant, & impunitatis libellos a Magistratibus obrinerant. *Deciana* itaque deservescens, jamque sopita persecutione, non nisi post gravem, ac diurnam poenitentiam, quæ tamen Confessorum, seu eorum, qui pro fide Christi strenue decerta-

verant, precibus minuebatur, in Ecclesiam isti lapsi recipiebantur. Quam disciplinam cum abolere vellent *Felicissimus*, & *Novatus* Presbyter Carthaginensis veniam absque mora omnibus promiscue lapsis indulgentes, a Sancto Cypriano Carthaginensi Episcopo fuerunt graviter objurgati, & tantum non ab Ecclesia rescissi. Quo factum est, ut *Novatus* haud parum stomachatus, & imminente capiti suo procellam prælagiens, Romam venerit, ubi *Novatiano* Romano Ecclesiæ Diacono junctus diurnas inter Christianos turbas invexit. *Novatianus* quippe quietis impatiens, & impotenti ambitionis æstu abreptus nihil intentatum reliquit, ut *Cornelii Summi* Pontificis ordinationem tanquam illegitimam abrogaret, seque in ejus locum sufficeret. Quare magnam plebis partem mille nocendi artibus a *Cornelio* separavit, & factione sua corroboratus, in Romano Pontificem, seu porius *Antipapam* evectus est, novamque Schismati Hæresim adjunxit, negando videlicet, Ecclesiam jus & auctoritatem habere lapsis in persecutione, idest *sacrificatis*, & *libellaticis* veniam indulgenti. Quam feralem deinde sententiam *Novatianus* ad cætera alia peccata post Baptismum commissa extendit, ita ut omnibus in aliquod peccatum post Baptismum prolapsis, & ad Ecclesiam lachrymis, & gemitu, & dolore pulsantibus, divinæ pietatis, & paternæ lenitatis solatia, atque subsidia crudelitate post hominum memoriam maxima denegaret. Sic istud Schisma a *Felicissimo* & *Novato* excitatum, quod a nimia facilitate veniæ lapsis concedendæ ceptum erat, tandem contra errantium vota desinit in extremum & eregione oppositum errorem, & qui antea nullum lapsum a venia arcebat, postea nulli post lapsum veniam dandam cum *Novatiano* prædicarunt. *Novatiani* discipuli dicti sunt ab illius Sectæ Auctore *Novatiano*, vel *Calbari*, seu *Mundi*, quod se solos lapsos puros existimarent, & Pharisæorum more, se a peccatoribus, quos venia omnino indignos judicabant, discernent. *Novatiani* igitur nomen suum sortiti sunt non a *Novato* Carthaginensi Presbytero, sed a *Novatiano* Ecclesiæ Romanæ Diacono. Quod sane Græcis Scripturis non fuit satis compertum, hi siquidem *Novatum* cum *Novatiano* perperam confundunt, licet aliunde Historia Schismatis *Novatiani* accurate narretur apud *Eusebium* lib. 6. Hist. Eccles. cap. 47. ubi inseritur Epistola *Cornelii* Papæ ad *Fabium* Antiochenum.

Aliud in tertio sæculo sub *Stephano* Summo Pontifice non minus periculosum fuit Schisma *Rebaptizantium*, qui Hæreticos ad gremium Ecclesiæ redeuntes denuo baptizandos esse magno animorum æstu contendebant, quibus *Stephanus* Papa se tanquam murum æneum opposuit. Sed de hoc *Rebaptizantium* Schismate, quod Ecclesiæ grave accessit negotium, commodius in proximo Colloquio agemus, in quo sermo nobis erit de Conciliis, quæ in tribus primis Ecclesiæ sæculis ad profligandas Hæreses, & ad componenda Schismata variis in locis fuerunt celebrata.

Præter illa duo Schismata, quæ Ecclesiam in tertio sæculo haud parum exagitarunt, nonnulla etiam

etiam obortæ sunt Hæreses, quæ illius sinum viperino dente proficiderunt. Prima est *Noetii* Ephesii, qui conscriptam *Praxeæ* Hæresim recoxit, ac postliminio revocavit, tres Personas Sanctissimæ Trinitatis in unam confundens, asserensque Patrem æternum esse passum pro nobis, unde illius Hæreseos fautores appellati sunt *Patripassiani*. Eandem *Praxeæ*, & *Noetii* Hæresim suo nomine, ac patrocinio celebriorem fecit *Sabellius*, qui itidem docuit, ac vehementius propugnavit, in divinis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non esse tres distinctas Personas, sed unam dumtaxat trinominem esse Personam, quæ, prout ingentia est, & creandi principium, dicitur *Pater*, prout incarnata, *Filius*, & prout sanctificans creaturas, *Spiritus Sanctus* vocatur. Alteram, nec minus execrabilem, eodem sæculo Hæresim invenit *Paulus Samosatenus*, natione Syrus, Episcopus Antiochenus, qui ausus est asserere, Christum non semper fuisse, nec ante Mariam Virginem extitisse, ac subinde, non Deum, sed purum putumque hominem esse. Hinc prodiit *Paulianistarum* Secta, quos relicta Hæresi ad Ecclesiam revertentes iterum baptizari debere sanxit Concilium Nicænum Primum, eo quod Baptismi formam interpolarent. Præter duas illas Hæreses, quæ in tertio sæculo Ecclesiam infestaverunt, S. Epiphanius in lib. de Hæresibus mentionem facit Sectæ *Valensorum*, cujus auctor fuit *Arabs* quidam nomine *Valens*. Horum Hæreticorum non alius refertur error, quam quod sese Eunuchos facerent. Meminit etiam idem Sanctus *Pater* cujusdam *Angelicorum* Hæresis, auctore ignoto. Quinam etiam fuerit palmaris illorum error? incertum omnino est. Nec minus obscura est origo alterius, quam refert Sanctus Epiphanius, Hæresis *Origenistarum*, qui ex infami *Gnosticorum* cloaca egressi nuptias damnabant, obscenis voluptatibus se conspurcabant, & libris spuris, & apocryphis, quos proprio Marte proculderant, ad suos stabilendos errores utebantur. Quapropter, ejusmodi *Origenis* confundi haud debent cum *Discipulis* famosi *Origenis* *Adamantii*. Postremo, *Nepos* Ægyptiacus Episcopus impii *Cerinthi* fabulam de millenario Christi in terris Regno deliciis corporeis, & illicitis voluptatibus referto, quod post Resurrectionem iustis promissum esset, instauravit in tertio Ecclesiæ sæculo, quem *Dionysius Alexandrinus* egregie confutavit, sicut referunt *Eusebius*, & *Theodoretus*. Sed hic nostro de Hæresibus, quæ tribus primis sæculis monstrosa capita erexerunt, colloquio finem imponamus, crastina luce, bene fortunante Deo, acturi de Conciliis, quæ in tribus primis Ecclesiæ sæculis ad jugulandas, & profligandas illas Hæreses variis in locis coacta fuerunt.

D. Hoc argumentum mihi tam gratum erit, quam quod maxime. Nam sicut in primo, quod de persecutionibus contra Ecclesiam hinc inde excitatis habuimus, colloquio, a te perlubenti animo didici, quo pacto Ecclesia in tribus primis sæculis licet in membris suis cæsa, vel in exilium relegata, vel in carcere captiva, vel fame con-

sumpta, vel flammis exusta, vel aliis id generis tormentorum immanissimorum suppliciis ubique exagitata, victrix tamen semper extitit, & tot inter imminentes ruinas florentior evasit, atque vegetior; ita maxima cum animi mei oblectatione in proximo Colloquio addiscam, quomodo Ecclesia in Conciliis congregata de prostratis Hæresibus illustria trophæa erexit.

## COLLOQUIUM V.

De Conciliis, quæ in tribus primis Ecclesiæ sæculis fuerunt celebrata.

D. UT pleniorum Conciliorum, quæ in tribus primis Ecclesiæ sæculis fuerunt celebrata, notitiam assequi possim, haud parum juvabit paucis explicare verbis, quid, & quotuplicis generis sit Concilium? & unde Conciliorum origo profecta sit?

M. Concilium nihil aliud est, quam convocatio, seu Episcoporum cœtus ad dirimendas controversias, quæ circa fidem, & bonos mores exoriantur, vel ad faciendam disciplinam Ecclesiæ, cujus rigor, cum temporum injuria quandoque remittatur, vi Canonum, qui conduntur in Conciliis, instaurari, atque resarciri debet. Quadruplicis autem generis est Concilium, videlicet Æcumenicum, seu Generale, Nationale, Provinciale, & Diocesanicum. Concilium Æcumenicum, est convocatio totius, qua late patet, Orbis Christiani Episcoporum, quæ fit per Epistolam Encyclicam ad omnes Episcopos directam a Romano Pontifice, cui soli ex jure, & ex officio incumbit indicere Concilia Generalia, eisque vel per se, vel per suos Legatos præesse. Concilium Nationale est illud, quod a Patriarcha, vel a Primante cogitur, cuique omnes Primates, seu alicuius Nationis, vel Regni Episcopi interfunt. Concilium Provinciale illud est, quod unius Provinciae finibus coercetur, & convocatur ab Archiepiscopo omnes suæ Provinciae suffraganeos invitante Præsules. Postremo, Concilium Diocesanicum vocatur illud, quod ab Episcopo una cum suæ Dioceseos Parochis in rem peculiaris Ecclesiæ sibi a Deo creditæ celebratur. Porro ejusmodi Concilia non pari gaudent in Ecclesia autoritate, sed Concilia dumtaxat Generalia a Summo Pontifice legitime convocata in fidei, morumque controversiis dirimendis indeficienti pollent auctoritate, ut in confesso est apud omnes Catholicos, qui constanter profitentur, sacra Concilia suam habere originem a Christo Domino, qui suam assistentiam sacris Ecclesiæ Conciliis promissit, dicens *Matth. c. 18. v. 10. ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Hinc Apostoli in Concilio Hierosolymitano congregati, in eo, quod pro cessatione *legalium* ediderunt, decreto, auctoritatem sibi Spiritus Sancti asciscunt his verbis: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, Actuum Apost. cap. 15.

D. Quando nam Concilia in Ecclesia celebrari cœperunt?

M. In primo Ecclesiæ sæculo Concilia in Ecclesia

clesia celebrari cœpisse, liquido colligitur ex lib. Actuum Apostolorum, quo legimus, tria ab ipsis Apostolis habita fuisse Concilia, in quorum primo discipuli, qui convenere numero circiter centum viginti, suffecerunt Mathiam in locum perfdi Judæ, qui impij sui & sacrilegi facti, sed sero, pœnitens, relatis argenteis triginta, contumelioseque explosus a suis emptoribus, in desperationem actus ad restim confugerat, & suspensus ex ardore viscera sua voranda corvis turpiter egefferat. Sic enim ait sacer Historicus: *Et staverunt duos, Joseph, qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, & Matthiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum Ministerii hujus, & Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum; & dederunt sortes eis, & cecidit sort super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Actuum Apost. cap. 1. Alterum Apostolorum Concilium refertur cap. 6. laudati libri, ubi dicitur, coacto per Apostolos discipulorum grege, communibus suffragiis electos primum fuisse septem Diaconos, propter murmur Græcorum, idest Gentium, qui Christianæ Religioni nomen dederant, adversus Hebræos Christiana iidem Religione initiatos, eo quod in ministerio quotidiano despicerentur viduæ eorum, seu Græcorum. Viduæ quippe Hebræorum, quæ mensarum ministerio vacabant, non solum locupletiora ministeria sibi arrogabant, aliis victoribus ministeriis ad viduas Græcorum relatis, sed etiam in ciborum, & vestium distributione Hebræis magis favebant, pluraque illis suppeditabant quam Græcis. Quo factum est, ut murmur excitatum sit Græcos inter, & Hebræos, ad quod sedandum Apostoli Hierosolymis in Concilio congregati septem elegerunt Diaconos plenos sapientia, & Spiritu Sancto, qui sacra ordinatione muniti, mensæ non solum prophanz, sicut antehac factitabant viduæ, inservirent, sed etiam sacre mensæ essent ministri, omnibusque, absque ullo partium studio, cum alimentis, tum vestimenta æqualiter distribuerent. Tertium denique Apostolorum Concilium fufe describitur cap. 15. lib. Act. Apost. in quo decreverunt Apostoli immunes esse Fideles a jure Circumcisionis & Mosaicæ legis observantiarum, illisque tantum id oneris imposuerunt, ut abstinerent ab immolatis simulachrorum, a sanguine, a suffocatis animalibus, & a fornicatione. Alia, præter hæc tria, quorum apertam mentionem facit Scriptura sacra, referuntur Concilia ab Apostolis habita, quæ hic consulto, ac jure merito prætermitto, quoniam de his omnino flet Scriptura sacra, quæ utique non omisisset, si revera fuissent ab Apostolis celebrata. Quare hic observasse sufficiat, Ecclesiam ab ipsis Apostolis formam convocandi Concilia accepisse, quam ipsorum post discessum retinuit, cogendo interdum Concilia, dum aliqua gravis Ecclesiæ urgebat necessitas, sive ad gliscientes proscribendas Hæreses, sive ad morum, atque disciplinz Ecclesiasticæ sanctiores regulas præscribendas.

D. Fueruntne in tribus primis Ecclesiæ sæculis frequenter celebrata Concilia?

M. Non tam frequenter in tribus primis Ecclesiæ sæculis, quam succedentibus aliis temporibus, habita fuerunt Concilia; tum quia ob sævientes persecutiones, & immania Ethnicorum Imperatorum edicta, integrum, ac tutum non erat Episcopis prodire, conventusque habere; tum etiam cum id ætatis doctrinæ, Traditionisque Apostolorum recens adhuc esset, omniumque fidelium animis altius impressa memoria, promptum unicuique, ac proclive erat verum a falso discernere. Quocirca veritas in istis aureis Ecclesiæ sæculis per sese satis tuta, ac singulari pervia Conciliorum definitionibus ad consigendos errores minime egebat. Hinc est, quod apud nullum probatæ fidei Scriptorem Ecclesiasticum legitur, fuisse olim habita Concilia, saltem Generalia, ad damnandas illas Hæreses, quas in superiori Colloquio singillatim recensui. At enim tunc Christiani, divino quodam affulgente lumine, detectos Hæreticorum errores & vestigio execrari consueverant, & avitæ fidei, quam ab Apostolis hausserant, retinendæ tenacissimi, nihil commercii, aut societatis cum istis fidei corruptoribus habere volebant, sed eos tanquam male feriatos homines, tanquam excommunicationis fulmine percussos, & a vera Ecclesia extorres diris devovebant, excitati præsertim cura, ac vigilantia Episcoporum, qui gregem sibi creditum vera fide imbueri satagebant, & sparsos ab Hæreticis errores qua Scripturæ sacre, qua illibatæ Traditionis autoritate strenue retundebant.

D. Quonam igitur tempore post discessum Apostolorum Concilia primum fuere celebrata in Ecclesia? & quænam illa sunt?

M. Historia Ecclesiastica primo loco post Apostolorum discessum ea reponit Concilia, quæ secundo exeunte Ecclesiæ sæculo occasione controversiæ circa diem Paschalis observationem habita sunt. Ecclesia siquidem Romana, quæ mater est omnium Ecclesiarum, antiquam secuta consuetudinem, Pascha inviolabili ritu in venerationem Dominicæ Resurrectionis peragebat Dominica die, quæ post æquinoctium vernalis proxime sequitur diem XIV. lunæ mensis Martii. Ex adverso, Ecclesiæ Asiæ Pascha more Judæorum celebrabant die XIV. lunæ mensis Martii in quamcumque hebdomadæ diem incideret. Hæc porro controversia de die Paschalis celebrationis, cum primum cœpit, nullas animorum similitates, nisi leves, in quibus animarum salutis cardo non vertebatur, produxit. Nam S. Polycarpus Smyrnæ Aristes, qui Asiaticum ritum consecrabatur, Romam cum venisset, nec in sententiam Aniceti Papæ, qui Romanum & universale circa diem celebrationis Paschæ ritum sequebatur, descendere voluisset, ambo tamen, sicut viros bonos decet, salva, & incolumi amicitia, seque pacis osculis mutuo amplexi discesserunt, rati diversum illum ritum, qui solam Ecclesiæ spectabat disciplinam, nulla Ecclesiarum scissione, ac nullo animarum damno inde subnascente, tuto posse hinc inde observari. Ast

sub

sub Victore Papa, senescente jam secundo Ecclesiæ sæculo, hæc lis vehementius exarsit. Tunc enim Polycrates Episcopus Ephesus cum sibi consentientibus Episcopis Concilium convocavit, & epistolam Synodicam, cujus fragmentum refert Eusebius lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 24. ad Victorem Papam misit, in qua protestatur, sibi, & aliis Orientis Episcopis nefas esse, alia die, quam decima quarta lunæ Martii Pascha celebrare, ritumque illum Asianarum Ecclesiarum vindicat tanquam omnino conformem ei, quam prædictæ Ecclesiæ a Sancto Joanne Evangelista acceperant, traditioni. Id ægre tulit Victor Papa, & Concilium Romæ coegit, in quo conspirantibus omnium votis sancitum est, Asiaticos, qui alio, quam Dominicæ Resurrectionis die, Pascha deinceps celebrarent, & Ecclesiæ Romanæ disciplinam sequi detrectarent, a fidelium communione esse rejectos. Epistolam Synodicam hujus Concilii Victor ad Episcopos Asianos misit, & sicut scribit Eusebius lib. 5. Histor. Eccl. cap. 24. universos, qui illic erant, fratres proscripsit, & ab unitate prioris alienos pronuntiavit. Nonnulla alia Concilia in isto ditrimendo circa Paschatis celebrationem disciplina Ecclesiasticæ negotio habita fuisse refert ibidem Eusebius, *Palaestinum*, cui Theophilus Episcopus Cæsareæ, & Narcissus Hierosolymorum præfuerant; *Ponticum, Corinthiacum, Lugdunense*, aliaque Gallicana, quæ cum Romanæ Ecclesiæ disciplinz observatione apprime conveniebant. S. Irenæus Lugdunensis Episcopus nomine Ecclesiarum Galliæ ad Victorem Papam direxit epistolam, in qua eum adhortatur, ut Ecclesias Asianas propter observationem illius de Paschatis celebratione ritus, quem a majoribus suis acceptum retinebant, a sua communione non separaret, maxime cum in Ecclesia pro locorum varietate & usu, diversi permittebantur ritus tam circa jejunii observationem, quam circa alia quædam disciplinz Ecclesiasticæ capita. Verosimile est, Victorem Papam ad hanc S. Irenæi suggestionem placatum pacem Ecclesiis Asianis reddidisse, quia ut observat Petrus de Marca lib. 3. cap. 3. *de Concordia Sacerdotii, & Imperii*, constat ex Eusebio, & ex Socrate de excommunicatione a Victore Papa Ecclesiis Asianis inflicta, & de epistola S. Irenæi; constat etiam ex Sozomeno de communione Victoris Papæ, & Polycratis Ephesiorum Episcopi nunquam interrupta, quod certe contingere haud potuit, nisi suspensio a Victore Summo Pontifice excommunicationis effectu post monita S. Irenæi. Non desunt tamen viri eruditi, qui asserunt, Victorem litteris quidem comminatoriis perstrinxisse Asianos veteris consuetudinis de celebrando Paschate die XIV. lunæ mensis Martii retinentissimos; volunt tamen, eum dumtaxat hæsisse intra minas, nec ipsos revera a communione præcidisse, pacem procurante S. Irenæo. Verum attente legenti Eusebium loco mox a me citato, luculenter patebit, Victorem non solum minatum fuisse Asianis excommunicationem, sed reipsa in illos excommunicationis tulisse sententiam. Confule, si plura hac de re scire aveas, doctissimum

Schelstrat. part. 2. Antiq. illustr. dissert. 1. cap. 3. ubi hanc Polycratis cum Victore Papa pro observatione Paschatis contentionem egregie dilucidat, & in optimo lumine collocat. Nobis vero hæc de Conciliis in secundo Ecclesiæ sæculo celebratis pauca prælibasse sufficiat. (a).

„ (a) Adversus Montanum celebratum Concilium auctore Apollinario Hierapolis in Asia Episcopo coactis in unum viginti sex Episcopis ejusdem provinciæ, tradit auctor libelli synodici, & confirmant Apollinarius in libro undecimo adversus Cataphrygas, cujus fragmentum legitur apud Eusebium Histor. Ecclesiast. lib. IV. capit. XVI. Ibi præter damnatum Theodorum Coriariarum addit auctor libri synodici. Occasione Conciliorum in Africa addere hic juvat Agrippinum Carthaginensem Episcopum, aliud celebrasse concilium in sua sede, in quo sancitum: *ne clericus ullam curam tutelamque susciperet.* Meminit hujus Sanctus Cyprianus in Epistola ad Clerum & plebem Farnitanorum.

D. Quænam in tertio Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata Concilia?

M. Occasione gravissimæ istius concertationis de validitate collati ab Hæreticis Baptismi, quæ tertio sæculo agitata est, diuque Ecclesiam ferme universam distinxit, multa diversis locis habita sunt Concilia. Hæc autem disceptatio ante S. Stephani Pontificatum mota primum fuit ab Episcopis Africanis sub Agrippino Carthaginensi Episcopo, totiusque Africæ Primate, qui coacto Africæ, Numidiæque Episcoporum Concilio, Canonem edidit de iterando Hæreticorum Baptismo, sicut testatur S. Cyprianus epist. 71. ad Quintum, & 73. ad Jubajanum. Iisdem fere temporibus, hoc est, ante S. Stephani Pontificatum, duo in Oriente, videlicet *Iconii* in Phrygia, & *Synnadis* in Asia celebrata sunt Concilia, in quibus Hæreticos ad Ecclesiam revertentes, iterum baptizandos esse sancitum est. At sub Stephano universam administrante Ecclesiam cum hæc disputatio, haud parum exacerbatis hinc inde partium animis, graviore turbas excitaret, necesse habuit Ecclesia complures celebrare Synodos, ne pax diutius turbaretur. Quare circa annum Christi CCLV. Episcopi Numidiæ quid in hac controversia facto opus esset, quidve in ea statuerent, incerti, consuluerunt Sanctum Cyprianum, & Africanæ Ecclesiæ Episcopos per litteras, eosque obnixè rogarunt, ut suam hæc de re sententiam aperire haud gravarentur. Promptos sese exhibuerunt Cyprianus, alique Episcopi Africani, qui in Concilio congregati censuerunt: *Neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, ideoque de errore, & pravitate venientibus per omnia divina gratie Sacramenta unitatem, & fidei veritatem dari debere.* Hujus primæ Synodi Carthaginensis magna pars fuit Sanctus Cyprianus, qui doctrinam de rebaptizandis Hæreticis non solum didicerat a suo prædecessore Agrippino, sed illam insuper hauserat a Tertulliano, qui ante suam ab Ecclesia defectionem librum Græco sermone proculderat, quo probandum suscipiebat, ratum non

non esse Baptismum a quoquam Hæretico collatum. Is quidem Tertulliani liber omnino intercidit, illius tamen meminit Tertullianus in libro de Baptismo cap. 10. ubi eandem doctrinam proponit, ac defendit. Peracta itaque illa Carthaginensi Synodo, Cyprianus scripsit ad Stephanum Summum Pontificem epistolam Synodicam, qua illum de hac definitione facta a Patribus Africanis certiore faciebat. Quam ubi accepisset Stephanus, confestim reprobavit sanctionem Africani Concilii, districteque vetuit ne quis auderet a contraria Traditione Apostoli desciscere. Huic Stephani rescripto morem non gessit Cyprianus, sed epistolam, quæ ordine est LXXIV. scripsit ad Pompejum querimoniarum resertam, in qua moderatioris limites transfiliens instigulat Stephanum. Misit etiam rescriptum Stephani ad Firmilianum, & ad alios Cappadociæ Episcopos, qui Africanorum sententiæ de rebaptizandis Hæreticis adsupulabantur. Firmilianus in omnibus Cypriano consentiens ad ipsum dedit epistolam, quæ est inter Cyprianicas LXXV. in qua ait, repudiandum esse Baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum, hæcque esse suæ Ecclesiæ consuetudinem, quæ a Christo, & ab Apostolis manavit, multis confirmat. Hoc epistolari Firmiliani responso animatus Cyprianus, alteram sine mora convocat Africanorum Episcoporum Synodum, quæ est Carthaginensis secunda, cui interfuere octoginta septem Episcopi ex Provinciis Africæ, Numidiæ & Mauritanicæ, qui omnes præcedens Synodi primæ Carthaginensis Decretum firmanunt.

D. Necdum satis perspectum habeo statum istius controversiæ, quæ S. Stephanum Papam inter & S. Cyprianum Carthaginensem Episcopum fuit agitata. Quamobrem a te scire percipio, an ista controversia spectaret validitatem, aut invaliditatem Baptismi indiscriminatim ab omnibus Hæreticis collati, vel an potius spectaret duntaxat validitatem, aut invaliditatem Baptismi quorumdam Hæreticorum, qui consuetam Baptismi formam interpolabant.

M. Contendebat S. Cyprianus, una cum Episcopis Africanis, Baptisma a quocumque Hæretico, vel Schismatico extra Ecclesiam collatum prorsus nullum, & invalidum esse, ac subinde omnes omnino Hæreticos, vel Schismaticos, qui ad Ecclesiam, relicto errore, redibant, iterato Baptismo lustrari, & expiari debere. Quem errorem S. Stephanus in epistola ad S. Cyprianum, quæ non amplius extat, reprobans, sic suam protulit sententiam: *Si quis ergo a quacumque Hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad poenitentiam, &c.* Occasione illius Decreti a S. Stephano editi existimant nonnulli, Stephanum, damnando morem Cypriani, & Africanorum Antistitum, necnon Firmiliani, & Orientalium de rebaptizandis Hæreticis, in extremum impigisse errorem, ac suo statuisset Decreto, quorumcumque Hæreticorum Baptisma, etiamsi consueta, & solemni Ecclesiæ forma & ritu non esset collatum, ratum esse, ac legitimum, proindeque non

iterandum. Verum ejusmodi homines hanc erroris notam S. Stephano perperam inurunt. Primo, quia sanctus ille Pontifex per hæc verba: *a quacumque Hæresi*, solas illas comprehendit Hæreses, quæ Baptismi formam servaverant, seu quæ verbis Evangelicis Baptisma conferebant, ut innuit ipsemet Cyprianus in epistola ad Pompejum, in qua testatur, Stephanum Baptisma Hæreticorum ratum habuisse, ob vim & efficaciam verborum Evangelicorum, quibus confertur. Secundo, S. Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 23. ait, *Consuetudinem illam, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum traditione exordium sumpsisse.* Vincentius Lirinensis capit. 9. libr. Common. agens de errore ab Agrippino de rebaptizandis Hæreticis invecito, ait, Stephanum Papam huic errori resistendo antiquitatem retinuisse, & novitatem explosisse. Quod profecto nulla ratione dici posset, si Stephanus in hunc errorem antiquæ Traditioni prorsus oppositum lapsus fuisset. Postremo, ut aliis momentis, quæ hanc in rem adduci possent, superedeam; si Stephanus in hoc errore versatus fuisset, sequeretur, universam tum temporis Ecclesiam in errore turpiter jacuisse, eamque omni ex parte defecisse, constat siquidem omnes id ætatis Episcopos, vel in Stephani, vel in Cypriani abiisse sententiam, adeoque singulos ad unum Episcopos hinc inde errasse, cum utraque hypothesis, idest, tam Stephani, quam Cypriani, fuisset erronea, quod certe nullus Catholicus asserere audeat, cum, juxta Christi Domini promissa, universalis Ecclesia speciali adjuta, & illustrata Spiritus Sancti assistentia desciscere haud possit. Plura super hac re legi possunt apud doctissimum Schelstratum part. 2. antiquit. Eccles. illustr. dissert. 1. artic. 2. ubi lato calamo ostendit, totam disceptationem Stephanum inter & Cyprianum fuisse duntaxat de Baptismo Hæreticorum, supposito quod in consueta forma, seu in nomine totius Trinitatis Baptisma conferrent.

D. In tanto disputationis astu fueruntne Patres Orientales, & Africani, una cum S. Cypriano pacis, atque unitatis Ecclesiasticæ conservandæ solliciti, aut potius fueruntne reipsa tanquam contumaces a communione, cætuque Fidelium separati?

M. S. Stephanum cum Afris, & Orientalibus non rupisse pacem, sed tantum minatum esse se pacem cum iisdem rupturum, si adversus receptam totius Ecclesiæ consuetudinem Hæreticos rebaptizarent, discrete testatur Dionysius Alexandrinus ad Xystum Romanum Pontificem Stephani successorem, apud Eusebium libr. 7. capit. 5. *sepe ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod Hæreticos rebaptizarent.* Unde Sanctus Augustinus libr. 5. de Baptismo cap. 25. & aliis in locis ait, S. Stephanum & Cyprianum, aliosque Orientales & Afros Episcopos fraternam dilectionem, & pacem in his concertationibus jugiter servasse: *Vicit, inquit Aquilinus ille Doctor, pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos Schismatis malum oriretur.* Verum quidem est,

est, Firmilianum Casareæ in Cappadocia Episcopum, in ea, quam ad S. Cyprianum scripsit, epistola, quæ est inter Cyprianicas LXI. graviter exposulare, quasi a Stephano Papa fuisset a communione Ecclesiæ rejectus. Sed hac in re Firmilianus haud parum ira commotus, Stephani comminationis, perinde ac si reipsa executioni mandata fuisset, Oratorum more, severitatem plus æquo exaggeravit. Constat siquidem Firmilianum a S. Stephano nunquam fuisse excommunicatum; tum quia Ecclesia Græca in suo Menologio die 28. Octobris memoriam Firmiliani celebrat. Non est autem credibile Ecclesiam Græcam voluisse hominem a Sede Apostolica excommunicatum Sanctorem inserere fastis; tum quia etiam Firmilianus adfuit celebri Concilio contra Paulum Samosatenum Antiochiæ celebrato, eumque Patres secundi Concilii Antiocheni adversus eundem Paulum indicti in sua epistola Synodica ad Dionysium Romanum Pontificem, & ad omnes Catholici Orbis Episcopos data vocant *Beate recordationis virum*, quod honoris titulo Patres illius Concilii omni proculdubio Firmilianum non compellissent, si revera fuisset a Stephano Papa excommunicatus. Denique, nec Firmilianum, nec Cyprianum, nec Episcopos Afros, & Orientales a Stephano Papa fuisse communione privatos, aperte innuit Sanctus Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos ita de Sancto Cypriano loquens: *Sciens illum hæc non cum Anathemate eorum, qui se sequi noluerunt, edidisse; siquidem in Communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contraierant.* Quapropter, etsi negari non possit, Legatos Africani Concilii a Stephano Papa principio duris habitos fuisse, eisque tectum & hospitium, sicut ad S. Cyprianum scribit Firmilianus, fuisse denegatum, illos tamen postea admisit Stephanus, & ad litteras S. Cypriani rescripsit, uti colligitur ex epistola S. Cypriani ad Pompejum, quod quidem Stephani rescriptum licet non arriperit Cypriano, sed illi paulo acerbius visum sit, pacem tamen cum Stephano semper retinuit Cyprianus, quippe qui etiam post acceptum illud Stephani rescriptum vocat illum fratrem in Epistola ad Pompejum sub initium.

D. Fuitne hæc de rebaptizandis Hæreticis controversia tempore Stephani Papæ sopita, atque composita?

M. Nonnulli cum Eminentissimo Cardinali Baronio existimant, hanc controversiam de iterando hæreticorum Baptismate fuisse tempore S. Stephani Papæ omnino compositam, ac proinde Sanctum Cyprianum, Firmilianum, aliosque cum Orientales, tum Afros Episcopos ab errore resipuisse, & tandem aliquando palinodiam decantasse. Verum, ut cordate fatear, nullum præsentis istius palinodiæ extat sive in Cypriani scriptis, sive in aliis antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, vel minimum vestigium. S. Augustinus in epist. 48. ad Vincentium Donatistam, & lib. 2. de Baptismo cap. 4. conceptis verbis asserit, non inveniri Sanctum Cyprianum suam de rebaptizandis Hæreticis aliquando correxisse sententiam. Præterea, si huic controversiæ de rebaptizandis Hæreticis finem revera imposuisset Sanctus Stephanus, quorsum, amabo, post illius litis decisionem, post tam solemne Cypriani, Firmiliani, aliorumque Episcoporum, Orientalium, & Afrorum recantatam palinodiam, publicamque resipiscentiam, plures ex Sanctissimis Episcopis, & Primariis Sanctæ Ecclesiæ Doctoribus ausi deinde fuissent constanter asserere, Hæreticos ad Ecclesiam revertentes denuo esse baptizandos, si ab Hæreticis fuissent antehac baptizati? Certum enim est, S. Basilium Magnum, qui eandem Casareæ Cappadocum rexit Ecclesiam, quam jampridem rexerat Firmilianus, in sua prima epistola ad Amphilochem aperte docere, eos, qui a pravitate Hæretica abcedunt, pristinumque errorem abdicant, novo Baptismate esse initiandos, dum ad Ecclesiam revertuntur. Vigebat igitur adhuc Basilii Magni temporibus in Cappadocia, aliisque finitimis Regionibus mos reiterandi Hæreticorum Baptisma. Dionysius etiam Alexandrinus, qui Cypriani & Firmiliani sententiæ, teste S. Hieronymo, adhæsit, iis, qui Baptisma ab Hæreticis collatum irritum esse censebat, se suffragari innuit in epistola, quam scripsit ad Xystum Romanum Pontificem: *At vide, inquit, queso, gravitatem negotii. Revera enim in maximis, ut audio, Episcoporum Concilii decretum est, ut qui ab Hæreticis ad Catholicam Ecclesiam accedunt, primum Catechumeni fiant, ac deinde veteris, & impuri fermenti sordibus per Baptisma purgantur.* Clarius sese explicat idem Dionysius in epistola, quam scripsit ad Philemonem Ecclesiæ Romanæ presbyterum, apud Eusebium loco mox a me laudato. Unde, cum post S. Cypriani mortem Dionysius hæc duas scripserit epistolas, in quibus sententiæ de rebaptizandis Hæreticis patrocinari se non obscure testatur, apparet hunc morem Hæreticos rebaptizandi necdum in Ecclesia Orientali fuisse antiquatum, alioqui huic mori jam in Ecclesia abrogato ipse non fuisset obsecutus. Extat quidem apud Eusebium libr. 7. Hist. Eccles. cap. 4. & 5. epistola ejusdem Dionysii ad Stephanum Papam, quem de sancta inter Ecclesias Orientales pace his verbis certiore facit: *Sias autem, frater, cunctas per Orientem, & ulterius positas Ecclesias, quæ prius erant discisse, nunc autem ad unitatem reversas esse, & omnes Ecclesiarum ubicumque Antistites unum, idemque sentire, & ob redditam insperato pacem incredibili gaudio exultare.* Ex quibus Dionysii verbis colligit Eminentissimus Annalium Parens, omnes Orientales, mutata sententiâ, Stephani Papæ Decretum tandem amplexos esse, & in ejus sententiâ descendisse, postquam videlicet Stephanus tam Firmilianum Cappadocem, quam Heleum Tarfensem cum finitimis Episcopis excommunicationis sententiâ innodatum se minatus fuisset. Verum hanc sublestam Baronii conjecturam non admittunt periti hujus temporis Critici, quia pax illa, seu Orientalium Ecclesiarum concordia, de qua Dionysius in illa epistola ad Stephanum loquitur, sancta non fuit ob repudiatum morem de rebaptizandis Hæreticis, ut falso sibi persuasit Baronius, sed occasione Schismatis Novatianorum,